



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Libri XVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78332)





LIBER PRIMVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS-SEXTVS.

DE RATIONE SPECIALI IVDICANDI DE PECCATIS respectu habito in communi ad precepta, quorum transgressione peccata ipsa committuntur.

PRAEFATIO.



Ec ratio consistit in notitia tum naturae precepti, tum eorum quae possunt contrauenientem precepto excusare a peccato: tum etiam quorundam documentorum, quae considerare oportet iudicando de peccatis: tum demum diuersitatis preceptorum, quae omnia figillatim propriis capitibus tractanda sunt.



CAPVT I.

De natura precepti. SVMMARIA.

- 1 Definitio precepti. 2 Non solum bona & mala, sed etiam indifferentes actiones cadunt sub preceptum. 3 Varius modus virtutis. 4 Generalem modum supernaturalem virtutis, non cadere sub preceptum, quomodo intelligi debeat. 5 Solutio obiectionum, quibus videtur, saltem modum cadere sub preceptum. 6 Generalis modus naturalis virtutis, partim cadit sub preceptum tam diuinum, quam humanum; partim sub diuinum tantummodo, partim nec sub diuinum, nec sub humanum. 7 Tres modi, quibus intelligi potest actionem fieri ex electione. Primus, non coacte, qui cadit sub preceptum tam diuinum, quam humanum. 8 Secundus, sine metu. Tertius, alacri voluntate, quorum illi non cadit sub preceptum, & hic tantummodo sub diuinum. 9 Ratio discernendi inter preceptum, & consilium. 10 Quatenus talis discretio ex verbis legis fieri possit. 11 Quomodo fiat ex materia legis: & quod materia consilij nequeat mala esse: quodque malam esse, contingat dupliciter.

Nu. 1.



D explicacionem naturae precepti Syluest. in verbo Preceptum initio, definitionem hanc ex D. Thomae doctrina tradit: quod sit motio Superioris imperatoria ad aliquid agendum vel fugiendum ex necessitate. Illius autem prima pars indicat, quod preceptum in Superiore, sit actus rationis & voluntatis, tendens in subditos per modum imperij. Secunda vero, ostendit precepti materiam, esse actum virtutis, & actum vitij: quorum ille agendus est, & hic fugiendus. Tertia denique declarat preceptum imponere necessitatem obediendi; ita ut peccetur si non fiat quod praecipitur: hocque est, quod in ca. fin. 14. quaest. 1. dicitur: Quod praecipitur imperatur, & quod imperatur necesse est fieri. Est praeterea id in quo preceptum distinguitur a consilio; iuxta illud quod in eodem cap. subiungitur. Vbi con-

silium datur, offerentis arbitrium est: vbi preceptum necessitas est seruientis. Vt autem plenius haec intelligantur, tres quaestiones explicandae sunt.

QUESTIO I.

An omnes, & sola actiones virtutum & vitiorum cadant sub preceptum.

AD hanc respondetur, nec solas, nec omnes cadere. Non quidem solas, quia indifferentes cadere posse sub preceptum patet ex eo, quod precepta ceremonialia cuiusque legis, solent esse de actionibus externis indifferentibus; quae ex se nullam habent moralem bonitatem vel malitiam; sed solum vt ad religionem in Dei cultum assumuntur. Quamquam vt in praecedenti libro 14. numero 2. annotatum est, actio ex se indifferens, hoc ipso quod legitime praecipitur, ponitur in aliquo officio virtutis, bonaque moraliter efficitur: & hoc ipso quod legitime prohibetur, fit repugnans alicui virtuti, ac moraliter mala. Nec item omnes dictas actiones sub preceptum cadere ex eo patet; quod pleraeque cadant solum sub consilium: vt illae virtutum actiones quae pertinent ad eximiam perfectionem hominis: cuiusmodi censentur ea de quibus dicitur Prouerb. 3. De primitiis omnium frugum tuarum de pauperibus ] & cap. 25. Si esurierit inimicus tuus ciba illum, &c. ] & 1. Corinth. 7. De virginibus preceptum Domini non habeo, consilium autem do ] & aliae de quibus Dominus apud D. Matth. cap. 5. 6. & 19.

Nu. 2.

QUESTIO II.

An cum actione, modus virtutis cadat sub preceptum.

VT ad hanc respondeatur supponendum est, modum virtutis esse duplicem: vnum specialem, seu cuiusque specialis virtutis proprium: qualis est iustitia quidem, iuste seu seruato iuris ordine alteri suum reddere: temperantiae vero, temperate, seu seruata moderatione in victu & matrimonij vsu, viuere: & sic de aliis. Alterum autem generalem, qui adhuc duplex est: vnus supernaturalis & diuinitus infusus, qui est charitatis habitus, gratiae gratum facientis comes indiuiduus: alter naturalis, & humana industria acquisitus, qui est virtutis moralis habitus, quo virtuosus (vt sic dicam) agitur, requirens in virtuoso tres conditiones ex Aristot. in 2. Ethic. cap. 4. nempe vt scienter agat: deinde vt ex electione propter finem: ac demum vt firmo

Nu. 3.

stabi-



stabilique animo: quarum vna deficienter perit talis modus virtutis. Atque his ita positis, prima propositio statuitur. Modum proprium cuiusque virtutis cadere sub præceptum tam diuinum, quam humanum. Ratio est, quia virtutis actio, de qua datur præceptum, nequit sine tali modo consistere, cum ab eo suam speciem, propriamque rationem accipiat.

## De generali modo supernaturali.

Nu. 4. **S**ecunda propositio statuitur. Generalem modum supernaturali virtutis, non cadere sub præceptum. Ea autem non est ita intelligenda, quasi sensus sit, nullum haberi speciale præceptum de actu charitatis. Id enim falsum esse aperte constat: tum ex aliis sacre Scripture locis in quibus amor Dei aut proximi præcipitur: tum præsertim ex cap. 2. D. Matth. vbi maximum & primum mandatum in lege, Dominus ait esse. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; &c. & secundum simile, Diliges proximum tuum sicut teipsum. Sed intelligenda est, vt sensus sit; dum actio virtutis præcipitur, non præcipi eo ipso vt ex charitate is fiat. Quod D. Thomas communiter velle Nauarr. Enchirid. cap. 11. numero 13. recepit in ea re, recte probat 1. 2. quest. 100. artic. 10. quia sequeretur alioqui, vt quicumque extra charitatem facit opus de quo datur præceptum affirmatiuum: aut abstinere ab opere vitij de quo datur præceptum negatiuum: peccet tanquam transgressor præcepti: cum non habens charitatem non possit operari ex charitate. At id inconueniens est, immo hæreticum ex Concilio Tridentin. sess. 6. can. 7. de iustificacione: vbi anathematizatur tale quid dicens. Et certe si id verum esset, cum nemo sciat an habeat charitatem, quicquid egerimus semper anxij essemus, an quodcumque præceptum impleuerimus. Itaque præcepto Honora patrem tuum, inquit D. Thomas, non includitur, quod pater honoretur ex charitate, sed solum quod honoretur. Quod si casus contingit in quo patet ex charitate honorari debet: ea obligatio, vt idem D. Thomas addit in solut. 2. argumenti, nascitur ex eo, quod in tali casu speciale præceptum de actu charitatis obliget; non autem ex eo, quod præceptum de honorando patre, eam imponat. Addit ex Maiore Nauarrus in comment. De indulgentiis notab. 32. numero 46. versu 3. per actum etiam mortificare malum (atque adeo repugnantem charitati) posse præceptum impleri: vt Ecclesiasticum de sacrosancta Eucharistia sumenda in Paschate, impletur eam sumendo tunc indigne: quod est quidem peccatum mortale contra præceptum diuinum de ea digne sumenda; sed non est contra præceptum Ecclesiasticum quoniam ipsum ea ratione impletur quoad operis substantiam, cum absolute detur tantum de vsurpanda tunc temporis, ipsa Eucharistia sumptione.

Nu. 5. Si obicitur præcepta dari de medijs consequenda vitæ æternæ, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata ] & per consequens de iis quæ agenda sunt de charitate: cum acta sine charitate nihil profint ad æternam vitam consequendam, vt ex cap. 13. prioris ad Corinth. habetur in cap. vltimo de penitent. distinct. 3. patetque ex Concilio Tridentin. in cit. sess. cap. 7. sub finem. Respondetur inde propositionem nostram confirmari. Cum enim præcepta dentur de medijs quibus peruenitur ad finem, non de fine (vt videre est in medicina, in qua non dantur præcepta de sanitate) præcepta data de actionibus virtutum, non debent censeri data de charitate. Vnde fit, vt quoad substantiam operis possint extra charitatem impleri, iuxta supra dicta: quamuis secundum intentionem præcipientis implenda essent ex charitate: ad quam ipsa illa ordinauit, sicut præcepta sua medicus ordinat ad sanitatem. Itaque ei qui præceptum implet, sed non ex charitate, idem vsuuenit quod ei qui ex mandato Regis munitur aliquod castrum, sed alia intentione quam Rex haberet mandando: aut ei qui ab iniuria inferenda abstinuit iuxta legem in Republ. latam, sed non ob eiusdem Reipubl. pacem, quam intendebat legislator. Nam nec ille mandati Regij; nec iste legis publicæ transgressor iudicatur: quia illud quod præceptum erat, impleuit secundum totam substantiam operis. Aduerte ex Soto in lib. 2. de iustit. & iure, quest. 3. artic. 10. vt

præceptum impleatur quoad substantiam operis, iustificare ex parte principij, generalem Dei concursum: & ex parte finis; vt opus ipsum suapte natura ad Deum tanquam omnium finem vltimum referatur: prout ordine opus de se bonum refertur, nisi aliqua mala circumstantia depraueatur. Ad quam doctrinam confirmandam induci potest illud D. Pauli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt.

## De generali modo naturali.

Nu. 6. **T**ertia propositio statuitur. Generalem virtutis modum naturalem & acquisitum, partim cadere sub præceptum tam diuinum quam humanum: partim sub diuinum tantum, non sub humanum: partim neque sub diuinum, neque sub humanum. Hanc habet D. Thomas 1. 2. quest. 100. art. 9. Cuius prima pars probatur: quia dictus generalis modus secundum suam primam conditionem, quæ est scienter agere, cadit sub vtrumque præceptum. Nam ad satisfaciendum præcepto siue diuino siue humano, requiritur vt id quod præcipitur scienter agatur: debet enim (non minus quam præcepti transgressio) actio esse libera, quæ requirit antegressam scientiam. Vnde si dormiens vel ebrius, vel alia ratione imposita, sacrum Missæ audiat in die festo, non satisfacit præcepto Ecclesiæ: quia nescit quid faciat: itaut ad se rediens, debeat ad satisfaciendum; adhuc audire. Non vero ille qui Missam deuote audiuit, sed sine intentione satisfaciendi præcepto: siue quia non aduertit diem esse festum: siue quia statuit aliam Missam audire. Nam, vt Thomas Sanchez in opere morali argumentatur, lib. 1. cap. 13. num. 9. legislatores tantum dant præceptum de opere faciendo, non autem de intentione facienda: quo pertinent dicenda lib. 18. num. 150. & lib. 19. num. 23.

Tertia pars propositionis ex eo confirmatur, quod idem modus secundum suam tertiam conditionem, (quæ est agere firmiter animo,) sub neutrum præceptum cadat: quia firmitas illa includit rationem habitus requirentis longam exercitationem; cum tamen homines statim ac peruenerunt ad vsum rationis obligentur ad præcepta implenda. Itaque si quis debitum honorem impendat parentibus, quamuis non habeat pietatis habitum, satisfacit præcepto de honorandis parentibus: itaut neque ab homine, neque a Deo puniatur tanquam illius transgressor: vt loco citat. habet D. Thomas.

Secunda pars demum, & pariter duæ adhuc aliæ probantur: quia idem generalis modus quoad secundam conditionem, quæ est fieri ex electione propter finem, partim cadit sub præceptum tam diuinum quam humanum, partim sub neutrum; & partim sub diuinum quidem, non tamen sub humanum.

Nu. 7. Quod vt pateat notandum est, eandem secundam conditionem duas habere partes: nempe fieri ex electione, & fieri propter finem. Atque priorem tribus modis intelligi: quorum primus est, vt ex electione fieri dicatur, quod sponte fit, & non coacte: quomodo accepta proposita conditio cadit sub omne præceptum tam diuinum quam humanum. Per actum enim coactum non satisficit præcepto siue diuino siue humano, cum impletio præcepti non sit nuda passio, sed actio libera: qualis non est ea in qua cernitur coactio. Vnde si quis vi tractus ad templum interfit sacro, non satisfacit præcepto de eo audiendo: nec item si quis cogatur ieiunare, quia ablatas est ab eo omnis cibus, satisfacit præcepto, quo imponitur ieiunium, & sic de similibus: non modo cum quis ad ea coactus, resistit eliciendo quantum potest actum contrarium; sed etiam cum manserit indifferens, & ad neutram partem propensus reliquerit se arbitrio cogentis; nihil resistendo vi illata. Non vero si primo quidem fuerit coactus, sed postea consentiat in opus præcepti: tunc enim cum opus ipsum faciat libere, & non ex coactione, satisfacit præcepto.

Aduerte autem ista non procedere, cum ad satisfaciendum præcepto, solummodo requiritur actus exterior: tunc enim quantumcumque opus fiat coacte, satisfactum esse censetur: vt si creditor vi acciperet a me pecunias sibi debitas, satisfacerem præcepto de restituendo alieno, neque



Nu. 8.

deberem denuo, soluere idem debitum. Verumtamen peccarem, si nollem restitutionem esse factam.

Secundus modus est, vt id ex electione fieri dicatur, quod fit sine metu. Secundum quem modum supradicta conditio non est in praecepto: vt argumento est, quod plerumque detur praeceptum addita comminatione poenae, cuius metu inducantur subditi ad ipsum implendum. Qua ratione datum esse constat primum omnium, Genes. 2. dicente Deo ad Adam, De ligno scientiae boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Accedit quod metus non tollat, sicut coactio, liberum; etiam illud nonnunquam ita minuat vt à peccato excuset: prout declaratum est in praecedenti libro 1. cap. 8.

Tertius modus est, vt ex electione dicatur fieri, quod fit propensa alacrique voluntate: secundum quem modum, eadem supradicta conditio cadit sub praeceptum diuinum, non autem sub humanum. Quia enim homo videt quae parent: Deus autem inuictur cor, 1. Reg. 16. is qui cum voluntatis auersione & quadam mollitia praeceptum implet, vt censetur accidere ei qui non occidit quidem, sed vellet occidere, non satisfacit Deo prohibenti homicidium, vt patet ex cap. 5. D. Matth. versu 22. & 23. sicut satisfaceret homini, qui de interioribus non iudicat. Ex quo eodem fundamento colligitur, eandem secundam conditionem ratione suae posterioris partis, quae est fieri propter finem, seu bona intentione, cadere sub praeceptum diuinum, non autem sub humanum: quandoquidem intentio, est effectus interior latens in animo; de qua proinde homo nunquam de re sibi ignota, vt non iudicat. ita nec praeceptum facit Deus: cuius oculis omnia sunt nuda & aperta ad Hebr. 4. Itaque si Iudex odio vel alia mala intentione malefactorem morti tradat; aut pecuniam mutuo acceptam ea intentione reddat vt detur ad vsuram: vel gladium alterius apud se depositum ei restituat vt alium occidat; diuinum praeceptum violat, non autem humanum: vnde tanquam praecepti transgressor punietur à Deo, non item ab homine, ex D. Thom. in cit. art. 9. Quamquam negandum non est, Ecclesiam habere potestatem puniendi ea quae fiunt malo affectu (vt patet ex dictis in praecedenti libro 13. cap. 2. sect. 2.) Atque per hoc satis patet 2. pars nostrae tertiae propositionis: sicut per praecedentia duae reliquae.

QV AESTIO III.

Quanam sit ratio discernendi praeceptum à consilio.

Nu. 9.

Magna est inter praeceptum & consilium similitudo, cum vtrumque sit quoddam legis praescriptum, in quo non facile detegitur diuersitas. Quae quidem tota ex eo prouenit, quemadmodum attigit à Victoria in relectione de potestate civili, num. 20. quod legislator in suis legibus, non velit semper exigere à suis subditis obedientiam debitam: sed aliquando tantum ordinem simpliciter quid faciendum sit: docens, & dirigens potius, quam praecipiens. Quod quando fiat, ita vt lex ipsius consultoria tantum, non autem praecipitoria iudicanda sit, vnde pendet ratio discernendi praeceptum à consilio, Sylu. in verbo Praeceptum, quaest. 2. & 3. recte explicat, dum ista statuat.

Nu. 10.

Primum est, An lex consultoria sit vt praeceptiua, non posse semper cognosci ex ipsius verbis: quoniam in lege nonnunquam verbum precarium, vt rogo, inuenitur vsurpatum praeceptiue, vt 11. quaest. 3. cap. Rogo: quod glossa ibidem annotat: & nonnunquam verbum praeceptiuium, vt mando, vsurpatum precario, vt in cap. Mandatus, 2. quaest. 4. vbi id glossa quoque annotat.

Secundum est: nisi de legislatoris intentione aliunde confiterit, censei non posse consultoriam tantum esse legem eam, quae datur per verba praeceptiua: qualia ex Alphonso à Castro in 1. lib. de lege poenali, cap. 5. documento 4. sunt: praecipio, mando, iubeo, prohibeo, inhihero, veto, interdico, & eis aequiualentia: etiam si materia legis praeceptiua non sit, sed tamen consultiua: nisi quod verbum, debet, etiam si aequiualeat, in materia consultiua importet, inquit Syluester, solam congruitatem, id est, debitum hone-

statis, & non iustitiae vel necessitatis. Sic enim quod in cap. 1. De desponsatione impuberum dicitur: quod si pater filium nondum adultum, matrimonio tradiderit, filius ipse postquam peruenerit ad perfectam aetatem, debeat illud implere: glossa finalis ibidem interpretatur, debere debito honestatis, non autem necessitatis.

Tertium est: cum lex datur per verba imperatiua, non praeceptiua: qualia sunt, dicant, faciant, legant, taceant, & alia innumera, non posse ex eorum significandi vi cognosci, an ea sit praeceptiua, obligetue ad peccatum: quoniam talia verba possunt in propria sua significatione, tam à consulente quam à praecipiente vsurpari. Sic cum dicitur Psalm. 75. Vouete & reddite, &c. illud esse consilij, & hoc praecepti, ex vi significandi vocum, nullatenus cognosci patet. Itaque inquirendum est 1. de legislatoris voluntate imponendi vel non imponendi obligationem.

De qua voluntate si constare non possit, recurrendum est ad materiam: quae si praeceptiua sit, lex quoque praeceptiua esse iudicabitur: quia verba legis debent ad materiam ipsius accommodari argumento citati cap. Rogo, iuncta eiusdem glossa. Censetur vero tunc praeceptiua legis materia, cum est de necessariis; vel ad iustitiam, vel ad charitatem, vel ad diuinam reuerentiam: vt non fieri clandestina matrimonia: fratrem corripi: non committere unice repleto stomacho, & multa alia, de quibus bene determinari non potest nisi ex communi doctorum sententia. Haec Syluester. Ex cuius doctrina relinquuntur, si legis materia non fuerit necessaria ad iustitiam vel charitatem vel diuinam reuerentiam: neque fuerit, vt idem qui quae h. bit in quest. 2. ponderosa, id est, magni momenti ac ponderis; legem esse tantum consultoriam: vt hinc Si quis te percussit in dexteram maxillam tuam, praebet illi & alteram, Math. 5. cum quibusdam aliis, quae ibidem habentur.

Aduerte autem quia de eo quod malum est, consilium dari non potest, sicut nec praeceptum: requiritur vt consultiua materia sit saltem indifferens, manime vero mala: vt esse potest ex Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 1. ex defectu; vel finis, vel alicuius debiti circumstantiae, vel obiecti siue non iustificabilis, id est, talis, quod nulla circumstantia possit bonum fieri, vt mentiri: siue non iustificati, id est, talis quod de se malum sit quidem, sed ita vt possit fieri bonum ex aliqua circumstantia: vt occidere hominem, potest ex circumstantiis personarum: & aliis de quibus suo loco in sequenti lib. 27.

CAPVT II.

De iis quae contrauentem praecepto excusare possunt à peccato.

SVMARIA.

- 12 De impotentia exiustante à peccato.
- 13 Duo modi, quibus contingit ignorantia à peccato excusans.
- 14 Quando contingat respectu praeceptorum legi naturae.
- 15 Quando respectu diuinae legis positivae.
- 16 Quae eiu'dem legis tradita notitia tollat illius ignorantiam à peccato excusantem: quae item dubitatio eandem tollat: si ad veritatem intelligendam diligentia non adhibeatur.
- 17 Quae monitio praecedens sufficiat ad constituendam eius generis dubitationem.
- 18 De dispensatione in ordine ad praecepta iuris naturae, & in quae ex eis illa possit aut non possit cadere.
- 19 Res potest desinere esse iuris naturae, per mutationem ipsius, siue secundum se, siue secundum suam circumstantiam: quod exemplis illustratur.
- 20 Quando liceat praeceptum de bono priuato, aut de minore bono datum, omittere ob commune, vel maius bonum.

VOLENTI de peccatis ex aliquo praecepto iudicare, videndum est imprimis: An sit aliquid quod contrauentem excuset à peccato: vt esse potest, tum metus grauis & cadens in constantem virum: tum impotentia

tum



um ignorantia inuincibilis: tum etiam Superioris dispensatio. Atque de metu nihil occurrit addendum ad ea quæ dicta sunt in præced. l. r. cap. 8.

**Nu. 12.** De impotentia certum est, quod nemo ad impossibile obligetur; etiam si quis illi causam culpabilem dederit, dummodo de data vere pœnitat. Quod addo, quia sibi placens adhiuc in ea; consequenter placeret sibi in præcepti transgressione, quod est inexcusabile. Iam quando censenda sit impotentia ipsa contingere, nequit generali regula determinari: sed id, sicut multa alia in hac doctrina, relinquatur prudentis iudicio ex inspectione circumstantiarum, præcepti, rerum, & personarum.

Quæritur autem, An qui non potest implere totum illud quod præcipitur, teneatur implere partem quam potest? Respondetur distinctione: vel enim illud quod præcipitur diuiduum est: ita nimirum ut in eius parte, ratio præcepti saluetur perinde ac in toto: nec vna pars pendeat ab alia: quo modo ieiunium totius Quadragesimæ est diuiduum; quoniam ipsius obligatio est singulorum dierum ex quibus ea constat; sine dependentia vnius ab alio. Vel certe est indiuiduum: ita scilicet ut in eius parte non saluetur ratio præcepti, sicut in toto; vnaque pars pendeat ab alia: quo modo auditio Missæ indiuidua est: Responso igitur ad propositam questionem hæc est. Cum id quod præcipitur diuiduum fuerit, dubium non esse quin ille qui non potest seruare totum, debeat seruare quam potest partem, utpote independentem ab alia. Cum vero fuerit indiuiduum, si maior pars illius seruari possit, eam tanquam accedentem ad totum, rationem que eius aliquatenus participantem, seruandam esse. Si autem non possit: nec minorem, etiam si possibilem, seruandi obligationem esse; quia pars maior trahit ad se minorem. De qua re pluribus Thom. Sanchez in opere morali libr. 1. cap. 9.

Iam de ignorantia, ad ea quæ dicta sunt in 11. lib. cap. 3. addenda est ratio iudicandi in particulari, quando ipsa excuset à peccato contrauentem alicui præcepto. In cuius gratiam meminisse oportet eius quod illic attingimus, ignorantiam quæ contrauentem præcepto excusat à peccato, contingere duobus modis.

**Nu. 13.** Prior est, cum in eo qui ignorat, nulla omnino præcessit ratio dubitandi, aut notitia qua induceretur ad existimandum quiddam certum, esse peccatum; ut vsuuenit nonnullis simplicibus existimantibus pietatem esse agonizantes voluerunt in lecto, ut citius moriantur; cum tamen id de se sit peccatum contra præceptum Non occides: sed à quo in tali casu illi excusentur per ignorantiam, quam humana industria vincere nequiverunt: non quidem per inquisitionem intellectus, deliberationemve: quia in homine, qui de re aliqua nunquam dubitauit, nec vllam; nequidem confusam, cognitionem habuit: nullum omnino inest principium de eadem re deliberandi. Cum enim voluntas non feratur incognitum, ea nunquam applicabit intellectum ad inquirendum deliberandumve de re, quæ nulla omnino cognitione ei representatur: neque item per interrogationem aliorum à quibus discere posset: aut per euitationem alicuius occupationis impeditur ipsum à consequenda cognitione requisita ad talis ignorantie depulsionem. Quis enim interroget de iis, aut caueat aliquid, causa eorum quæ nullatenus in mentem ei venerunt? Iam dubitatio illa, aut confusa cogitatio quæ deliberationi vel interrogationi dare debet initium, non est libera, sed naturalis: ita ut non sit in nostra potestate situm eam habere; sed fortuito nobis contingat, sicut actiones alia indeliberata.

Quæ doctrina procedit etiam in actuali inconsideratione præcepti, ex qua ei contrauenitur, quantumuis ipsum cognoscatur habitu. Sic enim excusatur à peccato is qui aliquo die non ieiunat, propterea quod nullatenus in mentem ipsi venit, sed tunc ad id præcepto obligari, etiam si habitu talis obligationem probe cognosceret. Id quod plenius explicatum est in præced. lib. 15. num. 75.

Posterior modus est, cum post dubitationem, aut confusam cognitionem facta diligenti examinatione, an aliquid sit vel non sit illicitum, contrariumve alicui præcepto,

Valerij Tom. 2. Par. 3.

probabilibus rationibus appareat licitum esse, nec vlli præcepto repugnare, licet res aliter se forte habeat; quomodo contingens ignorantia, dicitur probabilis; quæ æquiparatur inuincibili; quoad effectum excusandi à peccato, quantumcumque forte fuerit in potestate hominum illam vincere: quoniam in casu quo ea contingit, homo agit ex iudicio prudenti sufficientive ad conscientiam prudenter fundandam propter probabiles rationes: quibus quoad agenda vel vitanda acquiescere, tribuitur prudentia.

De ignorantia excusante obseruationes particulares.

**V**T igitur ad rem propositam veniamus cum iuxta triplicem legem in præcedenti libro 13. descriptam, triplicis generis præceptum distinguatur: vnum legis naturæ, alterum legis diuinæ positivæ, & 3. legis humanæ: ratio iudicandi in particulari, vtrum talis ignorantia in aliquo casu contigerit, consistit in his obseruationibus.

Prima est; Præceptorum legis naturalis, qualia sunt Decalogi, ignorantiam posse contingere dupliciter. Vno modo ob propria peccata, ut in iis qui cum antea aliquam habuerint talium præceptorum notitiam, senserintque remurmurantem conscientiam in eorum transgressione: ex deprauata consuetudine postea in ipsis adeo obscuratur naturale lumen, adeoque opprimitur conscientia: ut neque idem quod prius iudicent, neque transgrediendo sentiant conscientia stimulos. Tales fuerunt illi de quibus ad Roman. 1. ait Apostolus: Cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed seauerunt in cogitationibus suis, & obscuretum est insipiens cor eorum, &c. quos non excusari à peccato per eiusmodi ignorantiam patet; tum ex eodem Apostolo ibidem: tum ex eo, quod non excusabilis sed culpabilis sit eiusmodi ignorantia. Altero modo contingere potest eadem ignorantia; non proprio personæ, sed nationis vitio, & ex maiorum culpa: ut si communiter existimetur furtum, aut fornicationem, aut vsuram, aut alium eiusmodi licere; tuncque ad iudicandum num ea excuset à peccato, considerare oportet conscientia dictamen. Si quis enim sit adeo rudis, ut tantum ductus autoritate & legibus maiorum suorum, nullam omnino dubitationem habeat, nec conscientia remorsum circa talia: ignorantia ipsius censeri potest inculpabilis & excusare à peccato: sed quia vix, rarissime reperitur aliquis talis, quoad Decalogi præcepta, atque alia quæ adeo euidencia sunt, ut non obstante quacunque contraria maiorum consuetudine & legibus, malitia transgressio nis illorum statim pulset animum, remordente conscientia; vix etiam vnquam talis ignorantia censeri potest excusare in talibus: nisi forte in fornicatione, vsura, & nonnullis similibus: in quibus cum non appareat iniuria, sed potius aliqua iustitia similitudo, interdum conscientia non potest facile esse illorum iudex verus, deque illorum malitia remordere.

Secunda obseruatio est. In hoc differentiam esse inter legem naturalem & diuinam positivam, quod illius promulgatio intus fiat per conscientiam tanquam præconem à natura datum: iuxta illud Apostoli ad Roman. 2. Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Promulgatio vero huius, fiat per sancti Evangelij prædicatores, iuxta illud ad Roman. 10. Quomodo credent ei quem non audierunt: & quomodo audient sine prædicante? Vnde concludit idem Apostolus: Fides ergo est ex auditu. Quæ conclusio vt valear, dicendum est, modum cognoscendi mysteria & præcepta fidei, non esse per internam illustrationem naturalis luminis, sed per internam prædicationem concionatoris. Cumque hoc ita sit, statui potest si desit prædicatio mysteriorum & præceptorum fidei, ignorantiam eorum esse inuincibilem, atque adeo excusantem à peccato; iuxta illud Domini Ioan. 13. Si non venissem & locutus eis non fuisset, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Quæ locum enarrans D. Augustinus tractat. 89. tom. 9. concedit à peccato infidelitatis excusari eos, quibus Christus non est locutus per se, nec

Nu. 14.

Nu. 15.



per Apostolos vel alios de Ecclesia. Et D. Thomas 2.2. q. 10. art. 1. ait, talium infidelitatem non esse peccatum, sed peccatum peccati originalis: neque ob eam sed ob alia peccata ipsos esse damnandos.

Porro non quavis mysteriorum ac præceptorum fidei prædicatio sufficiens est ad impediendam iam dictam excusationem: sed tantum ea quam sufficiens argumentum seu motuum credendi comitatur: vt cum miraculum editur in confirmationem eorum quæ annunciantur: aut eadem probabilibus rationibus credibilia esse ostenduntur: non quidem perfunctorie, sed diligenter & cum exemplo vitæ honestæ, atque secundum naturam legem studiose; prout habet Franciscus à Victoria in priore relectione de Indis in explicatione a. tituli, propositione 4. Tunc enim per præceptum Domini Marci ultimum. Euntes in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creature. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; &c. ] quique tenetur prædicationem Euangelij audire, eique acquiescere. Ad quod præsto est auxilium Dei cooperantis & sermonem confirmantis: si non sequentibus signis, vt tempore Apostolorum, saltem interno motu intellectus, ad assensum sufficienti: nisi obstinatio aut alius animi prauus affectus obstat.

Quamuis interdum contingat rationum momentis inter duas opiniones fluctuare: quo casu precibus & lacrymis postulandum est abundantius auxilium diuinum: vt in simili se fecisse testatur D. Augustinus in lib. De vitili. credendi contra Manichæos cap. 8. tom. 6.

Quod vero mysteriorum, præceptorumque fidei propositio nuda; ac destituta argumento aut motiuo ad credendum: non impedit supradictam excusationem, recte à Victoria in præced. propositione 2. confirmat ex verbis Domini Matth. 15. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. ] Quibus aperte significat excusandum fuisse à peccato, Iudæorum infidelitatem, si eis suam doctrinam proposuisset sine motiuo sufficienti ad credendum. Adde cum eodem authore, temeritatis imprudentisque esse credere sine argumento; aut motiuo sufficienti: in iis maxime quæ ad salutem animæ pertinent. Vnde dicitur Ecclesiastici 19. Qui credit cito, leuis est corde.]

Nota vero, vt in infidelium, sic in fidelium terris inueniri adeo rudes, vt tantum ducantur autoritate suorum maiorum in iis quæ ad salutem animæ pertinent: qui si ob parentum ruditatem vel Parochorum negligentiam, nihil de fide audierunt, præterquam quod Christus sit, possunt infidelibus ipsis comparari, quoad eam de qua agimus ignorantiam: cum de illis merito quoque dicatur: Quomodo audient sine prædicante? Et certe in aliquibus locis, in quibus mysteria ac præcepta fidei fuerunt aliquando sufficienter promulgata; tanta secuta est postea obliuio illorum, vt perinde sit ac si nunquam fuissent promulgata.

Nu. 16. Tertia obseruatio est. Dubitationem ad hoc sufficientem, vt dubitans teneatur veritatem inuestigare, si velit à peccato per ignorantiam excusari: circa præcepta quidem legis naturalis, contingere solo interiori naturali lumine: circa præcepta vero iuris positui siue diuini siue humani, non contingere absque exteriori monitore. Ratio est, quia obligatio eorum quæ iuris sunt naturalis, pendet ex interna aliqua ipsorum conditione, quæ naturali lumine nota, promulgatur per conscientiam remorsum, qui statim occurrit agredientibus facere aliquid in contrarium; quique ad hoc sufficit, vt dubitans teneatur in inquirenda tali obligatione, moralem diligentiam adhibere, si velit à peccato per ignorantiam excusari, contraueniens de facto, alicui naturali præcepto. Eorum vero quæ iuris sunt positui, obligatio pendet ex Superioris præcipientis voluntate; quæ cognosci non potest, nisi exterius notificetur. Proindeque dubitatio circa illa exurgens, non censetur esse rationabilis, & que illis contrauenientem impediatur, excusari à peccato per ignorantiam: nisi intercesserit aliqua exterior adhortatio, vel fama non contemnenda; qua quis esse aliqua talia præcepta monitus sit.

Nu. 17. Vbi aduerte, quod cum præceptorum positiuorum quæ-

dam sint communia, & quædam particularia alicuius officij: ad dictam rationabilem dubitationem quoad communia, non sufficere vt præcesserit generalis monitio quod datur eius generis præcepta; alioqui enim quisque dum aggreditur quamcumque operationem, teneatur inuestigare, an aliquid sit de ea datum; quod esset difficultatis & molestiæ intolerabilis. Quoad particularia vero, sufficere generalem notificationem; quod hominibus talis status & officij, imposita sint particularia præcepta. Nam qui intelligit conditas esse aliquas leges sui officij, & negligit inquirere quænam ex sint, ignorantia ipsius est culpabilis: cum de iis sit quæ tenetur & non curat scire. Diligentia autem in eo adhibenda, vt ignorantia censetur inculpabilis, sufficiens est in imperitiis; si ipsi de legibus sui officij consulant peritum; qualis iudicatur esse ille qui habet eam omnium materiarum moralium notitiam, ex qua dubitare, & particularia leges inuestigare possit. Nec enim tenetur euoluere se sigillatim omnes quod esset impossibile: præsertim cum nouæ à Superioribus subinde emanent, vt de prouenit vt etiam si quis sufficiens sit, dubitationem tamen aliquam semper possit habere, dum consilium dat in re difficili. Quocirca tale contra, post factam in inquirendo diligentiam, datum contra legem aliquam particularem; ad culpam imputabitur tantum ei, qui dederit illud, carens præsidio doctrinæ sufficientis: quemadmodum notatum est ab Adriano in quodlibeto 5. art. 2. principali.

De dispensatione excusante, obseruationis alia.

DE dispensatione, quæ est quantum eorum, quibus contraueniens præcepto excusatur à peccato, nihil ad ea quæ dicta sunt in præced. lib. 13. num. 46. & 47. ac num. 190. aliquotque sequent. occurrit addendum, quoad præcepta iuris positui siue diuini siue humani; quoad præcepta vero iuris naturalis sequentes obseruationes videntur addendæ.

Primæ est, dispensationem proprie dictam, qua aliquis voluntate sui Superioris eximitur ab obligatione præcepti retinentis suum robur, non habere locum in præceptis iuris naturæ: quia hæc dantur de iis quæ bona sunt natura sua; quæque ratio, quamdiu immutata permanent, dicitur esse faciendæ: aut de iis quæ mala sunt natura sua, quæque ratio quamdiu talia manent; nunquam distauerit esse faciendæ. At voluntate Superioris non potest aliquid licere; quamdiu ipsum est contra rationis dictamen: tamdiu enim malum est & contra legem æternam: cuius promulgatio quædam id ipsum dictamen est, ex dictis in eodem lib. 13. initio tracta. secundi. Vt vero quis malum, ac contra legem æternam licite agat, nulla dispensatione fieri potest; cum id contradictionem implicet: communiterque concedatur illud generalissimum principium, Declina à malo & fac bonum; esse omnino indispensabile. Neque obstat quod dicitur vnumquemque legislatorem posse dispensare in sua lege; quia id verum est tantum, cum res non est mala, nisi quia prohibita.

Secunda obseruatio est. Eorum de quibus dantur præcepta iuris naturæ, quædam posse mutationem admittere, per quam desinant esse talis iuris; ac dictari à rectori natione: quædam vero non posse, sed omnino immutabilia esse; vt quæ honorem Dei cultumque continent; aut eidem aduersari ratio dicitur; circa quæ nulla contingit dispensatio, ne quidem impropria, qua quocumque modo præcepta de illis tradita; relaxentur. Nam cum homo, hoc ipso quod est creatura, honorem cultumque Deo debeat: sicut nihil potest esse per quod in eo cesset ratio creaturæ; ita nec per quod, debitum ea præstandi quæ Creatoris honorem cultumque continent desinat.

Item sicut in vita ciuili; nusquam id bene fieri potest, quod tollit Reipub. conseruationem: eiusdem vitæ finem, ad quem consequendum cætera omnia seruire debent: sic in vita spiritali, nusquam potest id licite fieri, quod aduersatur diuino cultui: ad quem vt ad vltimum suum finem; cætera in eadem vita dirigi debent. Itaque nulla vnquam de causa potest quis censeri bene & sine peccato negasse Deo adorationem; aut idololatriam commisisse, aut in vnum assumpsisse nomen diuinum; & sic de aliis eiusdem

generis.



generis. In ea autem, quæ prioris generis sunt dispensatio saltem imperfecta cadere censeatur, cum illam quam diximus mutationem admiserint: quod quia ratione contingat ex frequentibus obseruationibus intelligitur.

Tertia igitur obseruatio est. Cum illud quod sub præceptum iuris naturæ cadit, inuenitur repugnare bono communi, aut alteri bono maiori; tunc ipsum cessare, de iure naturæ esse: eo quod recta ratio dicitur bonum commune præferendum esse priuato: & bonum maius minori: & spectans ad salutem animæ, spectanti ad salutem corporis: atque adeo esse modo quodam dispensatum in præcepto illo, sub quod tale quid cadit: ita ut in eiusmodi casu contrauenire ei, non sit peccatum. Sic igitur non obstante quinto præcepto Decalogi, indicamus maleficos à magistratu sine peccato necari: & in iusto bello cum nocentibus innocentes eis permixtos interfici propter commune pacis bonum. Item innocentem probatum in iudicio reum mortis, licite condemnari à iudice, ad vitandum scâdalu populi, & perturbationem in Reipub. etiam si iudex ipse priuata scientiâ illum innocentem esse sciât. Sic etiam non obstante septimo præcepto, leges humanæ vsuæ capionis, & præscriptionis, auferunt vero domino quod suum est, propter bonum commune; ut tandè lites interminabiles ac infinitæ dirimantur, paxque publica seruetur. Sic porro iudicamus quando opus fuerit, nos debere cum vitæ periculo (de qua re in præcedenti lib. 1. cap. 8. paræ posteriore) fidem & Religionem Christianam, Ecclesiæque authoritatem tueri, ac salutem animæ, siue nostræ siue alienæ, prouidere. Ita ut adultera peccante, non ex malitia, sed ex infirmitate, si à me admonita emendabitur; etiam si mortis periculum mihi ab adultero imminet; debeam illum monere. Similiter populum quem hæreticus seducit, si à me monitus emendabitur, teneo monere, quantumcumque; inde incurram emincens vitæ periculum: & sic de huiusmodi alijs.

Quarta obseruatio est. Mutationem rei secundum se, aut secundum suam circumstantiam; sæpe facere ut ipsa desinat esse iuris naturæ; ac eius contrarium dicitur à recta ratione, sicut vsurpauit rei alienæ inuito domino, dicitur in eo qui premitur extrema necessitate; in qua res ex aliena, fit illi cum domino communis. Dicitur quoque non esse reddendum depositum domino furioso, vel hosti Reipub. quibus restitutum, perniciosum esset. Vnde oritur etiam modus quidam dispensationis sufficiens ad excusandum à peccato transgressionis præcepti, sub quod talis res cadit. Sic enim in duobus casibus proxime positis, non peccatur contra præceptum Non furum facies. Nec item peccarunt contra præceptum Non occides: tum Abraham cum voluit filium occidere cui est ea de causa promissa amplissima facta à Deo (tum Sampson cum interfecit seipsum: quem D. Paulus ad Hebr. 11. numerat inter eos qui adcepti sunt re-promissiones.

Cur autem non peccarint, ratio est: quod in illis casibus conditio occisionis prohibetæ quinto præcepto, mutata fuerit authoritate Dei habentis in omnes homines potestatem vitæ & necis: ita ut illos tum ipse per se aut per causas naturales, vel alios homines: tum etiam per seipos inculpate occidere possit; tam vt absolutus Dominus, quam vt iudex putiens in nobis peccatum originale; per quod omnes mortem meruimus.

Similiter iudicantur Hebræi non peccasse contra præceptum Non furaberis, quâdo Exod. 11. mutuo petita ab Ægyptijs vasa retinuerunt: quia Deus transfudit in eos dominium talium rerum acceptarum; sic vt eæ desinerent esse alienæ. Quo etiam referri potest Osæ excusatio à peccato contra præceptum Non fornicaberis: cum Dei iussu sumpsit sibi vxorem ex qua faceret sibi filios fornicationum: nempe quod Deus suauiter effecerit, vt Propheta & fornicaria consentirent in matrimonium. Quod verò Propheta iubetur facere filios fornicationum, accipiendum est eo sensu, vt iubeatur facere filios illius, quæ erat fornicaria. Vide Sotum in lib. 24. De iust. & iurè quæst. 3. art. 8. in solutione; argumenti.

Quinta obseruatio est. Vt sine peccato bonum priuatum ob commune, vel minus bonum ob maius deferatur (si quidem id ipsum siue commune, siue maius bonum obligatorium esse, dicitur restitatio) sufficere declarationem, per quam constat

de tali obligatione; consequenter enim constabit bonum priuatum vel minus bonum quod ei repugnat, desinere de iure naturæ esse, dicitur à recta ratione. Sin autem ipsum commune, vel maius bonum fuerit tantum in consilio: seu quod recta ratio dicitur quidem, non tamen vt obligatorium; requiri dispensationem Superioris: quia bonum priuatum vel minus bonum ex eo, quod illi repugnet, non desinit esse naturæ iure præcipiente: quod præponderat iuri consueti. Quæquid si dispensatio interueniat postponi potest; quia recta ratio consulens aliquod commune vel maius bonum, dicitur quod possit homo propter illud, liberari ab obligatione iuris naturæ, eidem bono repugnantis, prosecutionemque illius impediens. Sic ergo Papa in voto & in iuramento, ad quorum obseruationem secundum Decalogi præceptum obligat, dispensat propter commune aut maius bonum: itemque ad vitanda maiora & frequentia peccata: vt in eo voto quod per humanam fragilitatem facile frangeretur. Ac etiam ad tollendam improbis libertatem vexandi bonos & innocentes: vt in iuramento per metum facto latroni, aut tyranno. Ratio enim naturalis dicitur, tam grati esse Deo cui illa sunt, vt ipsa relaxentur ad remouendas peccatorum occasiones; quam vt obligatio ipsorum cum talibus occasionibus maneat. Id quod locum habet etiam si quis iurasset se non periturum dispensationem: quia tale iuramentum perinde est dispensabile, nec magis obligatorium, quam cætera: cum quibus omnino, in ratione iuramenti conuenit.

CAP. III.

De documentis notandis cum ex præceptis iudicium aliquod speciale fertur de peccatis.

SVMMARIVM.

21. Præceptum non implet qui illud omnino ignorat, etiam si sciat id quod per ipsum præcipitur.
22. Contra præceptum legi peccat, non modo qui illud transgreditur; sed etiam qui habet propositum transgrediendi, aut de illius transgressionem delectatur.
23. Quis dicatur voluntatis affectus efficax.
24. Illius differentia ab affectu simplicis complacentiæ, in ordine ad iudicium de vitio q. malitia.
25. Affectus efficax quando induat naturam simplicis complacentiæ.
26. Ratio iudicandi de affectu simplicis complacentiæ, an sit peccatum mortale, necne.
27. Complacentiæ de peccato prout ipsum est contra proximum, quando sit mortale.
28. Quando item, cum vsi de re prohibita, quia mala: vt de actu impudico.
29. Et quando de re mala, quia prohibita: vt de usu carnum in die ieiunij.
30. Ratio iudicandi de affectu simplicis displicentiæ, num sit peccatum mortale.
31. Modi peccandi consentiendo alteri peccanti, ac primo relati in glossa ad cap. 1. de officio delegati.
32. Relati à D. Thom. cuius eorum explicatio.
33. Præcepto naturali, diuinum positum cedit; & hinc, præceptum humanum.
34. Hoc præcedere, cum ius positum à naturali, aut humanum à diuino remouet conditionem necessariam ad obligationem, exemplis declaratur.

PRIMUM EST. Vt quis censeatur præceptum aliquod impleuisse; requiri vt id quod præcipitur egerit, non modo ex scientia de qua est habita mentio in cap. 1. quæst. 2. propos. tertia: sed etiam ex scientia legis: hoc est, actu, aut saltem virtute sciendo se agere secundum legem sibi præscriptam. Ratio est, quia ad seruandam legem præscriptam, requiritur vt quis ei consentiat, vel ite id facere quod per eam iubetur. At hoc non potest ille qui nullo modo legis scientiam habet: quia consensus non est sine scientia, per tradita in præced. lib. 1. c. 4. Sic igitur ille qui scit esse præceptum à se obseruandum de audiendo sacro Missæ in die festo; audit illud cum debita deuotione nesciens tamen diem eum esse festum; implet id ipsum præceptum, quia operatur cum cognitione eius saltem virtuali: seu quæ cum





præcesserit actu, perseverat habitu, etiam si ipse tunc non recordetur actu. Sed si præcipitur ut omnes ieiunent semel in mense, & aliquis nihil unquam de tali præcepto cognovisset, etiam si semel iam ieiunasset, tamen certior postea effectus de tali præcepto, tenetur iterum eodem mense semel ieiunare: quoniam antea non egit ex lege quam omnino ignoravit.

*Varij modi quibus contingit transgredi unum, & idem præceptum.*

SECTIO I.

**Nu. 22.** **S**ecundum est. Non solum præcepti transgressionem esse peccatum, sed etiam præcepti transgrediendi propositum, quod affectus efficax dicitur, immo & deliberatam voluntatem delectandi se in præcepti transgressione: etiam si ea nullatenus sit exequendi illud in quo transgressio ipsa consistit: ut quando quis delectatur de alieno opere malo, vel de proprio præterito vel de peccato absoluto, absque ordine ad executionem: quæ quidem voluntas dicitur affectus simplicis complacentiæ. Cuius documentum ratio est, quod ut in transgressione voluntaria præcepti, sic & in illius proposito acin simplici complacentia voluntaria, insit deliberatus in malum consensus, qui constituit peccatum per tradita in præcedenti lib. i. cap. 4. & 5.

**Nu. 23.** Pro illius autem plena intelligentia notandam est primo, affectum efficacem non tantum esse eum quem sequitur effectus, transgressio inquam, vel qui effectu frustratur ob impedimentum solummodo externum; sed eum etiam qui prævia deliberationis, iudicijve intellectus resolutione, versatur ea ratione circa præcepti transgressionem, ut ad executionem illius tendat voluntatis affectu: à qua tamen retrahatur timore interno alicuius periculi, quod si non adesset, exequeretur id ipsum quod habet in animo. Exemplum est: cum pecunia cupidus, ducitur affectu, quo plane vellet eam furari; sed non furatur, propterea quod metuit suspensum, vel aliud periculum.

**Nu. 24.** Notandum est secundo, differentiam esse inter affectum efficacem & affectum simplicis complacentiæ: quod malitia transgressionis præcepti, deriuctur in illum; non autem in hunc. Ratio est, quoniam affectus efficax, est ex se causa transgressionis præcepti: unde licet tempore eam præcedat, neque eam ex illa sequi postea contingat; merito censetur perinde malus ac transgressio ipsa, cuius ex se causa est. Nam & ea ratione medicina ex sanitate, cuius ex se causa est dicitur sana. Affectus vero simplicis complacentiæ non est ex se causa transgressionis præcepti; quia non provenit, sicut affectus efficax, ex consultatione procedendi ad opus; sed ex absoluta ipsius operis propositione facta voluntati ab intellectu. Quo fit ut ad iudicandum de malitia affectus efficacis, sitne moralis an venialis & quam peccati speciem constituat; attendendum sit ad opus: cum ille semper repugnet eidem virtuti, cui id ipsum opus: iuxta illud Osee nono: Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt: non autem ad iudicandum de malitia affectus simplicis complacentiæ, cum in eum illa non deriuctur ex opere malo, de quo complacere contingit: ut argumento est, quod interdum possit esse absque vlla operis malitia, prout patet ex peccato manis gloriæ, quod consistit in complacentia de bono opere. Sed quæ res si hoc ita sit; nec talis malitia iudicari debeat ex malitia operis sicut præcedens: unde ergo iudicabitur? Respondeo iudicari ex regulis virtutis, videndo utrum talis affectus secundum se alicui virtuti, ut inanis gloria humilitatis, opponatur. Nam ex ea oppositione speciali, intelligitur malitiæ species; atque ex illius quantitate notabili, aut non notabili, cognoscitur an sit malitia mortalis, an tantum venialis.

**Nu. 25.** Notandum est tertio, affectum efficacem induere naturam affectus simplicis complacentiæ; si is qui affectat, ab operis affectu executione ex h. c. retrahatur, quod advertat illud esse peccatum. Nam is qui opposita honestate permotus abstinet à peccati perpetrato, excludit à se peccandi propositum. Idem etiam videtur dicendum, si quis ita retrahatur timore pœnæ, ut alia quoque ex parte, executio ipsa minime illi placeat. Nam percussus tali timore (qui de se bonus est ut patet ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.) censerit potest

propositum peccati exterioris à se excludere. Affectus igitur tunc proprie efficax esse censetur, cum operis executio, non obstante quod sit peccatum, sic alicui placeat ex omnia alia parte, quod omnino incumbet ei, nisi metu pœnæ aut alterius periculi retraheretur.

Notandum est quarto, quando in affectu simplicis complacentiæ contingat notabilis oppositio, pugnantiæ cum virtute, ex qua iudicandum sit peccatum esse mortale; doceri in particulari propositis aliquot exemplis ex quibus similiter de ceteris iudicari possit. Primum est superbiæ qua quis in propria excellentia, contra virtutem humilitatis notabiliter sibi complacet: ut Angelis primo peccantibus contigit. Vbi advertit quod sicut complacentia ex eo de se mala est, quod directe opponatur virtuti: ita etiam mortaliter aut venialiter aut malam ex eo esse, quod talis oppositio fuerit vel non fuerit notabilis. Id autem prudenti relinquitur de terminandum ex regulis in præced. lib. 15. cap. 5. propositis.

Secundum exemplum est complacentiæ, quæ de quocumque peccato habetur, quatenus ipsum est contra Deum. Ea enim ex ordine ad Deum est notabilis contra charitatem, cui præcipue convenit rectum facere voluntatis affectum erga Deum.

Tertium est complacentiæ de peccato, quatenus est contra legem vel mandatum Superioris: ea enim est notabiliter contra virtutem obedientiæ; quandoquidem hæc primarie versatur in recta moderatione affectus interioris erga Superioris legem, mandatumve: ne scilicet agatur ex eius contemptu.

Quartum est, complacentiæ de peccato, quatenus est contra proximum: ita nimirum, ut ipsum deo placeat, quod proximi persona displiceat. Talis enim complacentia rationem habet odij, charitati directe repugnantis. Sic delectari de homicidio ea ratione qua malum est proximi, propterea quod persona ipsius displiceat, constitui mortalem complacentiam: non autem delectari de eodem, ratione tantum alicuius utilitatis vel commodi inde sequentis: unde cum minime displiceat persona, fit ut talis complacentia non habeat rationem odij directe repugnantis charitati: sicut nec amor proximi, rationem habet actus charitatis, si non sit ex complacentia personæ; sed ex utilitate & comodo quod ea adfert. Exemplum ponit Caiet. in 1. 2. quæst. 29. art. 1. de matre cui placet mors filij, eo quod ipsam nuptui tradere nequeat. Nam complacentia ea non habet rationem odij inimicitæ, cum non displiceat persona: sed odij, ut idem vocat, abominacionis: quo cum placeat persona, displicet res eam attingens: unde opponitur amoris concupiscentiæ, quo res placet: sicut odium inimicitæ opponitur amoris amicitæ, quo placet persona: ut idem author ibidem recte explicat.

Pari modo, delectari de furto facto à se vel ab alio, quatenus est notabile damnum proximi, cum rationem habeat odij inimicitæ ex displicentia personæ, censendum est peccatum mortale; non autem delectari de furto propter utilitatem inde secutam furi: aut propter subtilitatem & novitatem modi, quo perpetratum est: quia id non est directe contra charitatem, cum nullam rationem includat odij inimicitæ; nec etiam directe opponatur virtuti iustitiæ: cum sic delectari non sit facere, aut velle facere alteri iniuriam, ad quod impediendum, & suum cuique reddendum constituitur virtus ipsa iustitiæ; sed est habere simplicem affectum, excludentem operis executionem, per quam iniuria inferatur alteri. Verumtamen quia facile est ex tali affectu provenire odium personæ (quo saltem pluri fiat oblectatio propria aut furis utilitas, quam proximi indemnitas) is merito ut periculosus debet vitari: debent consequenter & narrationes in colloquiis, ac lectiones in libris, & in theatris representationes ex quibus idem excitatur ac fovetur.

Quintum exemplum, est complacentiæ interioris de fornicatione aut osculis, vel tactibus impudicis apprehensis sub ea ratione qua ex pleno consensu delectationem carnalē afferunt. Quæ complacentia peccatum est mortale: ut pote libidinosæ & venereæ, directe opposita virtuti castitatis: quæ moderatur non tantum exterioribus voluptatibus tactibus, sed etiam, ac multo magis (pro conditione scilicet virtutum moralium, quæ affectuum moderatrices sunt) interioribus voluntatis affectibus. Ex qua oppositione sicut habet, ut secundum

se ma-

Nu. 26.

Nu. 27.

Nu. 28.



se mala sit: ita ex eo, quod notabilis sit (prout censetur habitus de fornicatione & ratiōnis impudicis secundum se cogitatis) habet vt iudicetur mortaliter mala. Qua de re dicitur ex instituto in sequenti lib. 24. in quo tradenda sunt spectantia ad specialem rationem iudicandi de peccatis, habito respectu ad octauum praeceptum Decalogi.

**Num. 29.** Sextum exemplum, est simplicis complacentiae de esu carniū in die prohibito: quae nō est de se mortalis, etiam si prohibito eiusmodi tanquā facta notabili de causa, obliget sub mortali. Namq; praeceptum humanū, cuius generis est illud quo fit eadem prohibitio, tantū datur de actu externo, non autem de interno; nisi in ordine ad actum ipsum externum: prout in precedenti lib. 13. num. 21. expositum est: qui ordo cum nullus sit in affectu simplicis complacentiae: sane complacentia proposita non est mala ex malitia eius carniū, quem habet quidem pro obiecto: non tamen vt cadentem sub praedicta prohibitionem: quam simplex ipsa complacentia excludit: cum non sit affectus edendi carnes; sed tantum oblectatio accepta ex consideratione esus carniū: qualis esset aspicientis potantes in taberna, qui bibere non cuperet. Atq; ita fit: vt simplex complacentia de esu carniū prohibito, nō sit de se maioris malitiae, quam similis, de esu carniū non prohibito: vnde si hae non est censenda malitia notabilis, nec illa censeri debebit, & per consequens veniale solum esse.

Eadem etiam ratione complacentia de ludo sub mortali prohibito, censeri potest solum venialiter mala: quia talis prohibitio ad eam nō extenditur. Vnde ea non est peccatum, tanquam repugnans praecepto de non ludendo tali ludo; sed tanquam contraria naturali praecepto eutrapielae. Cuiusmodi moderate complacentia in ludo, perinde repugnat cum ludus non est, ac cum est prohibitus. In quibus tamen & aliis similibus, si motiuum complacendi sit mortale, erit & complacentia mortalis: itemque sit ea velletur aliqua alia mortali circumstantia.

**Num. 30.** Ceterum de affectu simplicis displicentiae, num sit malus mortaliter, an solum venialiter, eodem modo iudicatur quo de affectu simplicis complacentiae: nempe videndo an directe repugnet charitati, aut notabiliter alicui virtuti quae secundum se moderatur ipsi quoque interiori affectui displicentiae seu tristitiae. Sic enim odium, acedia, inuidia, quia sunt displicentiae repugnantes charitati, peccato suo genere mortalia iudicantur esse (de quibus suo loco postea) & displicentia obediendi Superiori quatenus Superior est, mortalis censetur, quatenus notabiliter opponitur obedientiae, quae moderatur interno affectui Inferioris erga Superiorem: & sic de similibus.

Aduerte autem displicentiam non esse statim iudicandā mortalem, ex eo, quod sit de actu virtutis qui praecipitur sub peccato mortali: sed attendendū esse ex quo motiuo ea proueniat: si enim aliquis de elemosyna quam sub mortali facere tenetur, tristetur eo quod cuperet ex tali pecunia rem aliquam vtilem emere, non peccat mortaliter; sicut nec qui de ieiunio Quadragesimali tristatur tantū ob molestiam corporalem quam adfert. Ad quod confirmandum induci potest quod non fuerit peccatum in Christo tristari de morte, quam sub praecepto subire tenebatur quia de ea solum tristabatur, qua ratione erat naturae contraria.

*Modi peccandi consentiendo alteri peccanti.*

### SECTIO II.

**Num. 31.** Tertium documentum est: nō cum solum peccare mortaliter, qui peccatum aliquod mortale committit, in eoq; perpetrando est praecipuus executor: sed etiam omnes alios (etiam si non sint similiter obnoxij censuris, irregularitati, & reservationi vt suis locis exponetur) qui eidem culpae consentiunt, iuxta illud Apost. in fine 1. cap. epist. ad Roman. Digni sunt morte, non solum qui ea faciunt. sed etiam qui consentiunt facientibus. I & tritum axioma vsurpatum in fine cap. Notū, 2. quaest. 1. Facientem & consentientem par poena constringit: quod ex citat. loco D. Pauli desumptum esse indicant verba illa cap. 1. De officio delegati. Agentes & consentientes pari poena, scripturae testimonio puniuntur: vbi glossa in verbo pari poena, distinguit quadruplicem consensum: vñū negligentiae, alterum consilij, tertium cooperationis, & quartum auctoritatis seu defensionis.

Communiter quos nouem distinguuntur modi consentiendi peccato, quos indicant duo senarij relati a D. Thom. 2. 2. quaest. 62. art. 7.

*Iustus, consilium, consensus, palpo, recurfus.*

*Participans, mu. us, non obsequans non manifestans.*

Quibus, inter, rete Nauarr. in Ethic. cap. 11. num. 13. significatur eum consentire peccato, atq; adeo illius reum constitui, qui etsi non sit eiusdem auctor praecipuus executorve, illud tamen vel iubet, vel consultit, vel ei consentit vel laudat, aut recepat principalem ipsius auctorem, vel eidem participat in tali peccato, vel eum tenetur & possit, ipsum siue verbo siue opere, non impedit peccare.

Porro ex eodem auctore in cap. 17. num. 13. & aliquot sequentibus nomine iubentis praeter eum cuius imperio expresso vel tacito peccatum mandatur executioni, intelligitur etiam is qui procurat talem executionem: vt si quis procuret graue aliquod damnum a potentiore inferri alicui: quod interdū vsu. vit familiaribus Regum & aliorum magnatum qui his aperunt & proponunt modos & vias vexandi aliquos: itemq; Advocatis vel Procuratoribus, quorum artibus aliqui causa cadunt cum habeant iustam. Obiter aduerte, expressum imperium esse: si quis expresse alteri praecipiat rapere, vel interficere, vel aliud id genus facere: t. c. u. m. vero, si quis alicui, qui ad ipsum imperium mouetur, dicat aliquid, vnde possit conijcere praecipium perpetrandi facinoris, vt, Opto vinctum sumi de tali: vel ei tale damnum inferri. Non mihi placebis, nisi hostie aliquid noui feceris, vel aliud simile, vnde alter mentem impetrantis intelligat.

Nomine autem consulens intelligitur non modo is qui consultit scienter & dolose: sed etiam is qui bona fide quidem, sed non adhibitis studio & diligentia debitis ad veritatem assequendam: & ita meri o monet Nauarr. non esse nimium suae scientiae & prudentiae in consulendo fidendum. Adde intelligi non modo eum, qui consilium dat: sed eum etiam qui adhortatur, rogat, instruit, vtilitatemque criminis ob oculos ponit: vel aliud simile facit, vnde alter mouetur ad illud perpetrandum.

Nomine vero consentientis intelligitur, non modo is qui consentit aliquid mortaliter malum perpetrari suo nomine, sed etiam is qui suo nomine perpetratum, gratum, ratumque habet: quo modo Princeps mortaliter peccat, non tantum consentiendo vt a suis bellum iniustum geratur; sed etiam gratum, ratumq; habendo gestum.

Nomine porro laudantis intelligitur, non tantum is, qui industriam, fortitudinem & huiusmodi alia in peccante commendat: sed is etiam qui ignauitiam, animum abiectum, & similia in eo vituperat, exprobrat, irridet, vt moueatur ad perpetrationem peccati.

Nomine peccatae receptantis intelligitur non tantum is, qui frequenter, sed etiam is qui semel recipit peccatum: aut alio modo securitatem illi praebet in fauorem sui peccati. Nam quamuis verbum receptandi grammaticis sit frequentatiuum: in hac tamen doctrina vsus obtinuit, vt in significatione sui primitiui hoc est, verbi recipiendi, vsurpetur, quae admodum notant Angelus in verbo Haereticus num. 23. & Sylu. in verbo Haereticus 1. num. 10.

Nomine deniq; participantis, intelligitur is qui peccanti praebet auxilium in peccando: vt qui ei cooperatur siue ministrando instrumenta, quibus exequatur scelus; siue se socium ei adiungendo in executione; siue eum comitando, quotutius aut commodius exequatur. Ceterum tria reliqua nomina mutus, non obflans, non manifestans, accipienda sunt prout sonant: & est addenda eis particula, cum tenetur & possit: quia vt alicui peccatum ideo imputetur, quod omiserit illud impedire, non est satis quod impedire potuerit, nisi ad id etiam teneretur; hoc est, non sufficit potestas sine obligatione, vt ex D. Thoma & Caiet. habet in cit. cap. 11. num. 13. Nauarr. & patet per doctrinam de peccato omissionis traditam in praeced. lib. 13. cap. 2. Ea autem obligatio esse potest vel ex lege charitatis, qua omnes interuenientibus quibusdam circumstantiis, tenentur obuiare peccato committendo a proximo: vel ex lege iustitiae, ex qua multi similiter tenentur obuiare ratione officij quod gerunt, vel stipendij quod accipiunt.



Præceptum diuersi generis comparatio inter se.

## SECTIO III.

**Nu. 33.** Quartum documentum est: præcepto naturali posituum, & huic humanum cedere. Cuius ratio redditur; quod Christus sua lege noluerit quidquam de iure naturæ mutare; nec homo quidquam contra ius naturæ Deique voluntatem possit ita mutare. Id quod intelligi debet procedere, quando duorum præceptorum materiæ concurrunt cum omnibus circumstantiis requisitis ad ipsorum obligationem; ita nimirum ut ius posituum nihil operetur aliud circa materiam iuris naturæ, quam quod habeat suam, cum illa concurrentem: ut accidit cum ad succurrendum extreme laboranti, quod est iuris naturæ, omittitur Missæ auditio in die festo, quæ iuris est positui. Ratio verò cur debeat sic intelligi, est: quod si præceptum posituum, circa naturale: aut humanum, circa diuinum ita operetur, ut aliquam circumstantiam tollat in ipsius materia necessariam ad obligationem, tunc non cedat sed vincat: non tanquam fortius & habens maiorem obligandi vim, sed tanquam remouens aliquid quod necessarium ei est ad inducendam obligationem.

**Nu. 34.** Sic præceptum est naturale, rationisve naturalis obligatio, vitandiscandalum; sed interueniente duplici circumstantia, prout patet ex iis quæ dicta sunt in præced. lib. 14. in prior parte quarti capitis. Altera est, vt operatio illa, ex qua sumitur occasio peccandi, sit omnino voluntaria & libera, id est, fiat tantum vt operans obsequatur animo suo: altera vero vt occasio peccandi sit naturæ ex ignorantia, aut ex infirmitate, non ex malitia. Iam vero præceptum posituum aliquid præcipiens, facit vt operetur quis, non vt obsequatur animo suo, sed vt alicui necessitati seruiat. Vnde concurrers cum antecedente præcepto de vitando scâdalo tollit priorem circumstantiam ipsius: sicque fit vt non cedat eidem. Et ita, prout loco cit. annotauimus, puella ex cuius aspectu aliquis exarscit, non tenetur vitare tale scandalum, si ex præcepto Ecclesiæ ei adendum sit templum, ad Missam audendam: vel si ille tali turpitudini ex malitia sit obnoxius. Similiter ius naturale, recte ratio præcipit studendum esse omni ope conseruationi Reip. sed cum hac circumstantia: dummodo aliud maius bonum non obstat: quæ circumstantiam cum contingat tolli per præceptum diuini posituum de seruando secreto in foro penitentiali (quando quidem bonum maximum omnium est: confessionem haberi in pretio, & malum maximum omnium ab illa homines alienos esse) fit vt ne quidem pro seruanda reipub. violandû sit tale secretum. De qua re dictum est ex instituto in præcedenti lib. 3. cap. 2. Eadem etiam naturalis ratio præcipit studendum esse conseruationi vitæ propriæ: sed cum hac circumstantia: dummodo maius bonum non obstat. Vnde Carthusianorum abstinentia à carnibus, etiam in periculo mortis optime defendi potest: quia maius bonum est obseruare rigidam regulam in tota religione, quam damnari vitæ adferri vni agroto.

## CAP. IV.

De diuersitate præceptorum.

## SUMMARIUM.

- 35 Diuisiones præcepti ex materia, & ex forma.  
 36 Diuisiones ex fine, & ex efficiente.  
 37 Peccata quæ nulli speciali virtuti repugnant.  
 38 Quando diuersorum præceptorum transgressione tantum committitur vnum peccatum, & quando plura.  
 39 Præceptum affirmatiuum semper includit negatiuum: hoc vero illud plerumq. quidem, sed non semper.  
 40 Vnde dictus Decalogus, ipsumq. esse compendium eorum omnium quæ agenda sunt, ut inq. animæ quasi speculum.  
 41 In sacris literis commendatur Decalogi non modo cognitio, sed etiam obseruatio.  
 42 Requisiti vt talis obseruatio sit fructuosa.  
 43 De quibus data sint præcepta Decalogi, & quam sit necessaria illorum cognitio.

44 Ratio denarij numeri præceptorum Decalogi.

45 Triplex discrimen in modo, quo eadem præcepta habentur traditam De. alogo.

46 Triplex ordo inter præcepta Decalogi.

**Nu. 35.** Hæc diuersitas innotescit ex variis modis quibus diuiditur præceptum: præcipuos attingisse sufficiet sumptos ex ipsius causis. Primo igitur ex materia, præceptum diuiditur in generale & speciale: quorum illud iubet bonum, & vetat malum in genere: vt datum in Psal. 23. Diuerte à malo & fac bonum: vel in genere præcipit obseruationem mandatorum: vt datum Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hoc vero vel certæ atque specialis virtutis actum præcipit, vel specialis vitij actum prohibet. Quod rursus distinguitur in illud quod est de pertinentibus ad charitatem, & in illud quod de pertinentibus ad iustitiam: & in illud quod de pertinentibus ad ceteras virtutes.

Secundo, ex forma diuiditur præceptum: primo quidè, in affirmatiuum & negatiuum: quoru illud imponitur iubendo, & hoc inhibendo: seruandumq; est omni tempore, non item illud: sed istis tantum temporibus, quæ vel recta ratio ex inspectione circumstantiarum, vel Superioris decretum præscripsit: quod si difficultatis aliquid aliquando habeat, id declaratur cum de vnoquoq. tali præcepto in particulari agitur. Secundo vero ex forma, præceptum diuiditur in commune & in priuatum: quorum illud est, quod obligat totam communitatem, non singulos seorsum: vt præceptum matrimonij Gen. 2. Crescite & multiplicamini: & præceptum sacri ordinis Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Istud vero: priuatum inquit, est, quod omnes & singulos obligat: vt præceptum de diligendo Deo & proximo, & alia pene innumera.

Tertio, ex fine præceptum diuiditur in morale, quod ad rectam morum institutionem: ceremoniale, quod ad Deicultum: & iudiciale, quod ad iudicium inter homines pertinet. Quæ tria genera in omni lege fuerunt tant naturali, quam Mosaicæ & Euangelicæ: videt ita vt duo postiora diuersa essent in diuersis legibus, & primum idem esset in omnibus.

Quarto, ex efficiente ad diuisionem legis diuiditur præceptum in naturale, supernaturale, humanum, & mixtum: quorum naturale complectitur omnia moralia, data de iis quæ faciendum se bona sunt, aut mala: Supernaturale vero in lege Euangelicæ, in qua sola nunc locum habet, continet quæ data sunt à Christo de Sacramentis. Humanum porro complectitur quodcumq; siue Ecclesiasticum siue ciuile: & est aut commune, quod pertinet ad omnes cuiuscunq; status: aut particulare, quod spectat ad certum hominum statum. Mixtum denique censeri potest continere tum omnia quæ sunt iuris gentium, tanquæ partim naturalia, partim humana: eo modo quo expostum est in præced. libr. 13. num. 40. tum etiam tria prima Decalogi præcepta, partim naturalia, partim supernaturalia: hoc nomine, quod ipsa sint quidem maxime consentanea rationi naturali: ad ea tamen ratio ipsa attingere non possit, nisi lumine supernaturali (vt habet Sotus in 2. de iust. & iure, quæst. 3. art. 1.) sit illustrata, ob rei scilicet de qua datur celsitudinem: quæ est summi veri; Dei cultus; ratio magisterioq; supernaturali indigens, vt omnibus mortalibus, prout oportet, clarescat: quemadmodum ibidem Sotus loquitur: perinde ac secundæ tabule præcepta, respectu rudiorum indigent magisterio humano.

Circa primam diuisionem pro praxi in iudicio de peccatis: notandum est i. multa esse peccata, quæ (cum non sint contra specialem virtutem, sed generaliter contra synderesim, rectitudinem) generali tantum præcepto, non alicui speciali, repugnare censentur: vt peccandi intentio in communi, est contra synderesim, quæ in genere dicitur malum esse fugiendum; & seipsum interficere, est contra rectam rationem, quæ id vetat; quantumcumq; fiat sine alterius iniuria, siue priuata, siue etiam communi Reipub. vt si quis esset Reipub. omnino inutilis, vel etiam perniciosus.

Notandum est secundò, peccatum quod committitur contra speciale præceptum contentum in generali, non nisi vnu esse, committitum vero contra plura specialia præcepta, esse plura peccata; iuxta Nauar. in Enchir. cap. II. num. 4. Cuius

notabi-



notabilis prior pars confirmatur ex eo, quod alioqui peccatum contra quodlibet præceptum, duplex esset; cum omne præceptum speciale contineatur sub generali. Posterior vero ex eo, quod præcepta distincta, quorum vnum non includitur in altero, cum distinctas imponant obligationes, transgressorem constituentur distinctarum culparum reum.

**Num. 39.** Circa secundam diuisionem, notandum est: præceptum affirmatiuum semper completi in se contrarium negatiuum; vt præceptum de honorandis parentibus; præceptum de non efficiendis illis iniuria. Ratio est: quia ex affirmatione alicuius, recte inferitur negatio contrarij illius; vt lucundum est. Ergo non est molestum. Præceptum vero negatiuum completi quidem plerumq; contrarium affirmatiuum, vt præceptum de non furando, præceptum de restituendo rem alienam; non tamen semper: sicut nec semper ex negatione vnius sequitur affirmatio contrarij ipsius. Non enim recte sequitur, Paries non est albus. Ergo est niger: quia potest esse medio aliquo colore tinctus. Similiter nec sequitur, Teneor ex iustitia, nulli vitam aut bona sua auferre. Ergo teneor ex iustitia omnibus vitam & bona sua cõseruare. Nam prohibitio malorum latius patet, quam præceptio bonorum. Quæ doctrina est Soti in 2. de iust. & iure quest. 3. art. 7.

Circa vltimam notandum est, in ea sub nomine præcepti naturalis comprehenditur decalogum: cuius respectu cum deinceps exposituri sumus specialem rationem iudicandi de peccatis, contentum est nonnulla de eo præmittere notauit digna.

Notanda de Decalogo.

PARS RELIQUA CAPITIS.

**Num. 40.** Notandum igitur est primo, Decalogum ex numero præceptorum, quibus cõstat nomen habere: nempe ex decem verbis illis de quibus Exod. 34. vers. 28. dicitur; quod Moyses scripserit in tabulis, verba fœderis decem: sumpto nimirum verbi nomine pro sententia, seu dicto sententioso: vt sepe fit in libro Prouer. b. vt & in Actis Apostolicis cap. 20. cum D. Paulus ait Meminisse oportet verbi Domini Iesu, Beatius est dare quam accipere.]

Censetur autem Decalogus vt ex Concilio Colonienfi habet Nau. in Enchir. cap. 11. num. 1. summa & compendium eorum omnium quæ Christianus debet agere: sicut symbolum Apostolorum summa est eorum omnium quæ idem debet credere: oratio dominica omnium eorum quæ debet à Deo sperare & petere. Itemque vt *idem ex eodem Concilio tangit in sequenti num. 3.* est quasi speculum quod baptizato traditur vt videat quantum per fidem acceptam renouet vitam suam; vel quantum declinauerit à via illa per quam Spiritus sanctus in baptismo acceptus, ipsum deducebat: & qua in re eadēdem vestem, quam in eodem baptismo induit, maculauerit: seu quibus peccatis, contraueniendo voluntati Dei, cuius obsequio per baptismi susceptionem mancipatus est, animam suam contaminauerit: aut à quibus peccatorum fordibus, per sacramentum Pœnitentiæ abluendam perurgandamq; habeat. In quem vsum necessarium esse Decalogum significatur per illud ad Romanos septimo, Concupiscentiã nesciebam, nisi lex diceret Non concupisces: & illud Deut. 4. Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant. En populus sapiens & intelligens. Quæ verba aperte etiam ostendunt Decalogum sic continere rudimenta pietatis & iustitiæ tradita populo Israelitico; vt etiam contineant perfectam pietatem & iustitiam; iuxta illud Ecclesiasticus cap. 12. Deum time, & mandata eius obserua: hoc est omnis homo.

Caue autem inde inferre nihil esse ex obligatione faciendum nisi expressum in Decalogo, nam tenemur Deum super omnia diligere, & proximos sicut nos ipsos: & multa alia facere de quibus nulla est in illo mentio, & vt recte admonet in citato num. 1. Nau. sed tamen concludit Decalogum cõstare iis præceptis ad quæ cætera omnia ad pietatem & iustitiam pertinentia reuocentur; tanquam illorum principia aut conclusiones.

**Num. 41.** Notandum est secundo, In sacris commendari nobis Decalogi non modo cognitione, sed etiam iugem, assiduamq;

considerationem; per illud Deu. 6. Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & meditaris sedens in domo tua, & ambulans in itinere; dormiens atque cõturbens] & illud Psal. 1. Sed in lege Domini voluntas eius & in lege eius meditabitur die ac nocte. Atq; considerationem; nõ quidem nudam, sed coniunctã cum obseruatione ipsius: cum dicitur Psal. 101. Iustitia illius in filios filiorum his qui seruant testamentum eius & memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea] & Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud] & cap. 12. Seruus sciens voluntatem domini & non faciens, plagis vapulabit multis] & ad Rom. 2. Non enim audiores legis iusti sunt apud Deum; sed factores legis iustificabuntur] & Iacobi cap. 1. Estote factores verbi & non audiores tantum, fallentes vosmetipsos] & cap. 4. Scienti bossum & non facienti peccatum est illi] & 2. Petri 2. Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum cõuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato] & 1. Ioann. 2. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.]

Ceterum vt fructuosa sit talis obseruatio exigitur vt fiat ex charitate sine qua nihil ad æternam vitam obtinendam prodesse potest vt manifestum est ex priori ad Corinth. cap. 13. Secundo, vt fiat quoad omnia mandata. Nam sicut ille qui vel vni tantum art. fidei non credit, fidem non retinet ad salutem necessariam: ita quicumq; totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, inquit D. Iacobus in cap. 2. sua Epistola; significans nihil ad æternã salutem prodesse obseruationem præceptorum, ei qui vel vnicum transgreditur obligans ad mortale. Quod & ratio confirmat, quia per talem transgressionem exciditur ab ipsã æterna salute, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Tertio, vt fiat cum perseuerantia vsq; in finem iuxta illud Matth. 10. & 24. Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit.

Notandum est tertio, in Decalogo non dari expresse præcepta de omnibus actibus virtutum & vitiorum; sed de iis qui patent, quiq; omnibus, quantumcumque rudibus facile inculcari, & in promptu esse possunt. Neq; immerito, cum illius notitia, sicut & Symboli Apostolici, sit ad salutem necessaria: quandoquidem ignorata, seruari nequeant; & ad ea obseruanda obligemur tum iure naturæ, quod immutabile est: tum iure diuino positio, multo arctiore quam in veteri lege: vt patet ex cap. 5. D. Matth. vbi Christus Dominus Decalogum renouat: in auctiore arctioreq; forma, quam antea esset; præmissa illa duplici sententia. Non veni soluere legem sed adimplere, id est, perficere; Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum; non intrabitis in regnum cœlorum. Vnde sequitur, omnes Christianos qui ad annos discretionis venerint, rationisq; vsum habuerint, sicut tenentur obseruare, ita teneri scire Decalogum, non quidem eo ordine, ac verbis quibus in Catechismo proponi solet (pro quo multos authores Thomas Sanchez refert in opere morali lib. 2. cap. 3. numer. 16.) sed quoad illius substantiam, est, quoad iusta aut verita in illo; ita vt interrogati valeant respondere, Deum esse timendum & colendum super omnia: Non esse peierandum. Honorem esse deferendum parentibus: & sic de alijs.

Notandum est quarto, denarij numeri præceptorum Decalogi non posse reddi meliorem rationem, quam diuinam voluntatem. Quia tamen ipsa voluntas diuina semper est rationi consentanea: istam vt accommodatam ad captum nostrum adierunt Theologi, sumptam ex eorundem præceptorum sine; qui est erudite homines in iustitia, tum erga Deum, tum erga proximum; vt cuique reddamus quod ei debetur. Tria sunt autem quæ debemus Deo: primum peculiaris cultus quæ vlli alteri deferre, prohibemur 1. præcepto: secundum reuerentia ob quam 2. præcepto prohibemur nomen ipsius in vanum sumere: tertium, famulatus & obsequium, cui certum tempus tribuere iubemur 3. præcepto. Proximi vero nostri sunt duplices: alij quidem quibus singulariter debitor sumus, eo quod ab eis maxima bona acceperimus: quales sunt parentes, à quibus post Deum, habemus vitam, quæ maximum est bonorum temporalium: vnde illis quarto præcepto iubemur honorem exhibere. Alij vero, quibus etiam beneficia non debeamus, tenemur tamen



eis non nocere, quod cetera praecepta iniungunt: quintum quidem, ne eis noceamus in persona propria, vitam auferendo, aut quacunq; ratione corpus mutilando: sextum vero, ne eis noceamus in persona coniuncta; prolis, aut vxoris. Et demum reliqua ne eis noceamus in bonis externis; neq; opere, quod septimum cauet: neq; verbo quod octauum prohibet; neq; etiam cogitatione, quod nonum & decimum ventant: illud quoad personam coniunctam; & hoc quoad cetera bona externa.

**Nu. 45.** Notandum est quinto, triplex discrimen cerni in modo quo decem hae praecepta habentur tradita in Decalogo Exod. 20. Primum est, quod primo & tertio addatur ratio, non item ceteris: primo quidem, per illud. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo seruitutis] tertio vero per illud, Sex enim diebus fecit Dominus caelum & terram & mare & omnia quae in eis sunt & requieuit die septimo.] Secundum est, quod primo & quarto adiungatur praemij propositio, non item ceteris. Primo quidem per illud: Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt praecepta mea.] Quarto, vero per illud: Vt sis longaeuus super terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi.] Tertium est, quod primo & secundo subiungatur comminatio poenae: non item ceteris. Primo quidem, per illud; Visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem iis qui oderunt me.] Secundo vero per illud, Nec enim infontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.] Quorum discriminum rationes qui volet, videre potest apud Sotum in 2. De iust. & iure quaest. 3. art. 7.

**Nu. 46.** Notandum est postremo: triplicem inter eadem praecepta ordinem cerni in Decalogo. Primus est communis omnium; qui consistit primo, in eo quod cum essent scripta in duabus tabulis ex cap. 31. Exodi in fine, & ex seq. cap. 32. vers. 15. praecepta prioris tabulae praecedant praecepta posterioris, duplici de causa: tum quia illa continent dilectionem Dei; & haec, dilectionem proximi: quae minus digna est: tum quia illa hominem, cuius vita milita est super terram Israh. 7. ordinant ad Deum, tanquam ad summum suum Principem; & haec ad homines tanquam commilitones: consentaneumq; est milites prius institui in ordine ad Principem, quam ad feinuicem; vt recte argumentatur Sotus in 2. De iust. & iure quaest. 3. art. 6. conclus. 1. Consistit secundo in eo, quod cum in vnaquaq; tabula sit tantum vnum praeceptum affirmatiuum, ipsum ponatur vlt. loco in 1. tabula; ordine scilicet executionis: in 2. vero tabula, primo loco ponatur, ordine nimirum dignitatis & intentionis.

Vbi aduerte praecepta affirmatiua esse negatiuis priora dignitate & intentione legislatoris: siue in eadem, siue in diuersa materia: quonia illa instituta sunt ad imbuendas virtutibus animas nostras: & haec ad easdem repurgandas a vitiis; quorum illud de se perinde habet se ad istud, ac plantatio vineae ad euulsionem veprium, a quibus agrum repurgari, ipsa requirit. Vnde Ieremia quarto dicitur Nouate vobis nouale, & nolite ferere super spinas & tribulos. Execu-

tionem vero, negatiua sunt priora affirmatiuis, cum sicut auulsio veprium ab agro est prior plantatione vineae in illo, ita etiam prius sit vitium exuisse, quam virtute vineae: quod factis indicari videtur per illud Psalm. 33. Diuerse a malo & fac bonum; & illud Isaia 1. Quiescite agere peruerse, discite bene facere.

Consistit postremo in eo, quod praecepta de operibus antecedant praecepta de verbis: & haec praecepta de cogitationibus. Cuius rei ratio esse potest, quod ceteris paribus grauiora & patientiora sint mala opera, quam verba: & haec, quam cogitationes: vt occidisse quam minitatum esse mortem, & hoc quam cogitasse occidere.

Secundus ordo cuius meminit Sotus in 2. De iust. & iure quaest. 4. art. 2. ad 1. est proprius praeceptorum primae tabulae: vt primum sit de non deferendo alteri quam Deo, cultum huic soli debitum: quod ad cordis fidelitatem pertinet. Secundum vero, de non assumendo nomen Dei frustra: quod ad oris veritatem spectat. Tertium demum, de exhibendo illi famulatum & obsequium: quod ad probitatem mortum reducit. Cuius ordinis ratio reddi potest quod grauius peccet qui cultum debitum negat Deo & alteri defert: quam qui se irreuerenter erga illum gerit: & qui hoc facit, quam qui negligit ei seruire in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus suis.

Tertius ordo est, proprius praeceptorum secundae tabulae, quo illud de honorandis parentibus praenotatur ceteris tanquam dignius ac maioris obligationis: cum etsi teneamur nulli nocere non teneamur tamen omnibus benefacere; sed specialiter parentibus, a quibus vitam accepimus. Vnde & de debito eis reddendo datum est praeceptum affirmatiuum, cum de reddendo aliis, praecepta omnia data in Decalogo, sint negatiua. Quae eidem affirmatiua subiunguntur hoc ordine, vt prius ponantur data de operibus, quam de verbis: & prius data de verbis, quam data de cogitationibus: & inter data de operibus, illa quae maius malum prohibent. Quia igitur maius malum est laedere proximum in persona propria adimendo illi vitam: quam in persona coniuncta prolis vel vxoris, adimendo illi prolis certitudinem & coniugij fidem: hocque porro maius malum est, quam laedere illum in bonis externis: fit vt quarto praecepto de honorandis parentibus succedat proxime quintum de non occidendo; tum sextum, de non adulterando; tum deinde septimum de non furando. Quibus tanquam datum de verbis, subiungitur octauum, de non dicendo falsum testimonium; & vltimum locum tenent nonum, de non concupiscenda vxore proximi: & decimum, de non concupiscenda re aliena: quorum illud huic praenotatur, eadem ratione qua sextus praenotatur septimo: quoniam illis in materia quam prohibent communicant. Haecque haecenus dicta sunt ad intelligendam rationem iudicandi de peccatis habito respectu ad praeceptum in communi. Quae vero faciunt ad eam intelligendam habito respectu ad vnum quodque praeceptum in particulari, tradenda sunt deinceps.